

DE VIVAE LATINITATIS SCHOLIS IN GADITANA STUDIORUM UNIVERSITATE HABENDIS

Ioachimus Pascual Barea

Universitas Gaditana
(HISPANIA)

Quaeso a vobis, quicumque in Latino sermone versamini, ne moleste feratis legere quas rudes primasque fere litteras exaraverim, nam spero eas sub insuavi forma vobis gratos nuntios allaturas esse. Baeticus sum et in Gaditana studiorum Universitate Latinis litteris deditum me profiteor. Gaditanus autem civisque Romanus fuit Cornelius Balbus ille, Iulio Caesari ipsique Tullio amicus; Gaditanus fuit Columella, Latinorum de agri cultura scriptorum princeps, necnon philosophus Moderatus et poeta Canius Rufus, a Martiale mirifice laudatus ut qui omnia in quocumque scripti genere ridens tractaret. Quis alios Baeticae auctores nescit? Num Pomponium Melam, nostris Gaditani freti litoribus incolam, memorabo? An Senecas Lucanumve Cordubenses referam? an Hispalensem episcopum Isidorum evocabo? Attendite ergo, non mea, sed meae patriae gratia, in qua olim cum litterae splendentes (quod ex illorum, quos dixi, scriptis intelligi potest), tum voces Latinae vigerunt. Baetici enim bello superati saecula minimum septem Latine locuti sunt.

Exstant adhuc nomina, quamvis corrupta, quibus illi sua loca nuncupaverunt. Notissimis testimoniis relictis, ad natale solum et propria scripta convertar: qua in civitate ipse pueritiam transegi, cuius nomen in chartis marmoreisque in notis inscriptum Arabica lingua servavit, 'Mauror' dicta est quod Maurorum locus olim fuerat, antequam Christianum templum saeculo septimo in hoc vico aedificatum est.¹ In Arabica historia

¹ «Étimos latinos y significados del topónimo y del sustantivo *Morón*», *Actas I Congreso Nacional de Latín Medieval* (Legione, 1995), 603-609.

IOACHIMUS PASCUAL BAREA

de rebus prope Mauror gestis circa annum CMXIV coniuratione in Cordubensem principatum orta, nomen arcis in acuti montis culmine sitae est 'Acut', cum montis nomen iam apud Callenses Aeneanicos, ut arbitror, Acutus fuisset.² Callenses cognomen suum ab Aeneae nomine duxerant (PLIN. 3,16), et montem eminentissimum inter Acutum montem et Maurorum vicum vocaverunt *monticellum, si me coniectura non fallit.³ Idemque quoddam carectum sive rivulum circa obsitum caricibus dixerunt *caricetum.⁴ Non longe ab antiquo Callensium oppido, pagum Xillibar *Sillibarium fuisse puto, cum sillybis, quod est esculentum cardui genus, luxuriaret.⁵ Etiam Lucurgentum Iulii Genius, et nomine et privilegio Caesareis ornatum, et Irippa fuerunt oppida ad Irae fluminis ripas sita, ut opinio mea fert; sed tantum antiquum fluminis nomen adhuc manet.⁶

Nostris temporibus Latinitatis studium in Baetica totaque in Hispania adeo viget, ut supra ducenti professores alique hypodidascali virique doctissimi Latinas litteras in viginti fere studiorum universitatibus et scientissime doceant et innumeris eruditissimisque scriptis illustrent. Qui non tantum totam Latinitatem callent, sed etiam externis linguis plerumque loquuntur. Si autem eisdem simplices locutiones ad res vitae cottidianae pertinentes Latine ex tempore dicendae essent, sicut ego suspicor, plerique adeo conturbari possunt ut cuilibet viderentur linguam quam docent et perscrutantur omnino ignorare. Nam tanquam emortuam hanc tractamus, et Latine vel loqui vel scribere munus nostrum non censemus. Rarissimi ergo sunt, quod sciam, qui Latine loquantur, idque plerumque privatim agunt.

Verumtamen Iohannes Gil, quondam professor semperque magister meus, commentarios tali elegancia maiestateque scriptos in lucem edidit, ut antiquos adaequare possint.⁷ Alter magister, Iosephus-Maria Maestre, in

² «De *mons acutus al castillo de Cote (hisn Aqu)», *Archivo Hispalense*, LXXVIII, 239 (1995), 11-27; «Callet y Callenses Aeneanici (Montellano, Morón): la ceca, el topónimo, el territorio y los oppida», *Moneta qua scripta: Actas del III Encuentro Peninsular de Numismática Antigua* (Hispali, 2004), 25-31.

³ «Del latín tardío *monticellu al topónimo andaluz Montejil», *Gades*, 22 (1997), 607-619.

⁴ «El topónimo mozárabe Carchite del latín tardío *car(i)cetu, 'carrizal', *Estudios Mozárabes*, Gadibus.

⁵ «Origen y localización de la fortaleza de Xillibar en la sierra de Montellano (Sevilla)», *Estudios de Historia y de Arqueología Medievales*, XI (1996), 349-364.

⁶ «Irippa y la Mesa de Gandul (Alcalá de Guadaíra): 'la fortaleza del río Ira' en época turdetana», *Congreso Internacional «Fortificaciones en el entorno del Bajo Guadalquivir»* (Alcalá de Guadaíra, 2002), 169-177; «La ciudad de la Mesa de Gandul como emplazamiento de Irippa y en relación a Lucurgentum y Alcalá de Guadaíra», *Andalucía Antigua: Actas del III Congreso de Historia de Andalucía* (Cordubae, 2003), 389-407.

⁷ *De codicibus Albornotianis ad Graecas Latinasque litteras pertinentibus commentarius*, Bononiae, 1964; «Praefatio» et plurima scripta minora in *Corpus scriptorum Muzarabicorum*, Matriti, 1973, pp. XIII-LXIV et aliae; «Praefatio» apud I. Gil, *Miscellanea Wisigothica, editio altera lucis ope impressa*, Hispali, 1991 (=1972), pp. IX-XX; «Nugae Pompeianae», *La parola del Passato*, CLXXXVII-CLXXXIX (1979), 414 ss.


hoc conventu luculentam orationem habuit; quin etiam Latina carmina interdum condit.⁸ Iohannis-Mariae Núñez, praeclari professoris et Classicae Philologiae apud Astures sectionis magistri, doctam orationem in conventu neo-Latino Cantabrigensi audivi. Duos saltem philologos Latinos novi, qui ad Circulum Latinum Matritensem conveniunt et vivae Latinitati favent: Iosephum-Mariam Sánchez et Vincentium Cristóbal, qui nobis de Vergilianarum eclogarum fortuna subtiliter disseruit. Et alios memorare possim. Nolite autem credere me ea, quae rettuli quaeque referam, de omnibus sentire. Sed plerique philologi Hispani, sicut in ceteris nationibus, linguam Latinam loqui seu nequeunt seu nolunt.

Date autem veniam mihi ut vobis breviter narrem quibus stimulis egomet, qui antea nihil praeter quasdam chartulas cursuales aliasque schidas exaraveram, ad Latine scribendum loquendumque nuper incitatus sim. Cum tres abhinc annos, Theodorico Sacré sermone Anglico primum salutato, Latinum responsum improviso tulerim, Latine sermocinari vicissim conatus sum, cum mihi plane apparuisset duos ex diversis gentibus Latinae linguae professores Latine potius inter se collocuturos esse. Sed paucis post minutis mihi necesse fuit me Latine non loqui fateri, cuius me puduit. Dum autem in alia studia Lovanii per sex menses apud professorem Gilbertum Tournoy incubui, quodam vivae Latinitatis aculeo iam tum suscitatus sum. Nonnullos enim commentarios et lepida carmina quae Theodoricus in lucem prodiderat,⁹ et legi et admiratus sum. Saepeque visi quam officinam sex ante mensibus tenuerat inclitissimus Iosephus IJsewijn, vir immortalis memoriae adhucque lugendus omnibus Latinae linguae cultoribus: eius chartae, libri, calami et cetera denique sui officii instrumenta, sicut ipse reliquerat, in scriniis manebant, atque tota aedicula Latinitati tamdiu sacra reverentiam movebat.

Monachi praeteritam aetatem degere appetens, ut Latinis cuiusdam Germani poetae aliorumque auctorum scriptis operam darem, cum non difficilius mihi esset Latine quam Theodisce scribere, ad quaerendum

⁸ «Carmen Antonio Holgado Redondo, magistro et amico, sacrum», *Anales de la Universidad de Cádiz*, VII-VIII (1990-91): *Homenaje póstumo a Antonio Holgado Redondo*, t. I, p. XV; «In singularum Ludouici Aegidii humanis de studiis operum laudem epigramma», apud *Humanismo y pervivencia del Mundo Clásico II. Homenaje al profesor Luis Gil*, Gadibus, 1993, t. I, p. 14; «Epigramma in laudem Iacobi Ioannis Falconis carminum editionis a Daniele Lupo de Canneto, optimo discipulo, prolatae», apud Jaime Juan Falcó, *Obra poética, edición crítica, traducción, notas y estudio introductorio de Daniel López-Cañete Quiles*, Legione, 1996, p. IV; «Ad lectorem», apud Rodrigo Caro, *Poesía castellana y latina e inscripciones originales. Estudio, edición crítica, traducción, notas e índices de Joaquín Pascual Barea*, Hispali, 2000, p. 7.

⁹ Mihi tunc nota fuerunt «Haicua Latina», *Rumor Varius*, 20, fasc. 118 (1997), 33; «Mortis Lipsianae relatio critice edita», *Melissa*, 78 (1997), 7-9; «Inscriptiones sepulcrales saec. XIX quae Romae leguntur in s. Mariae de Populo», *Melissa*, 80 (1997), 8-11; «De incepto Siciliensi», *Melissa*, 94 (2000), 3-4.




IOACHIMUS PASCUAL BAREA

Valafridi Stroh praesidium me quidem continere non potui quin Latinum calamum sumerem. Qui cum meis litteris humanissime responderet, venustam eius epistulam legens magna delectatione percussus sum. Postquam Monachum perveni, cum Latine sermocinati simus, iucundis eius colloquiis fructus sum. Quamvis balbutiens ipse ad eum vix sensus meos pertulisset, laborare tamen praestabat quam Latinas litteras a me alienas putare, et gratissima talis colloqui beneficia praetermittere.

Cum Latinis Valafridi scholis adessem, redux in patriam, quamquam nimiae mei audaciae non ignarus, statui me eum aemulaturum et conaturum alumnos Latine alloqui. Qui ilico stupefacti, *conticuere omnes intentique ora tenebant*. Difficile autem est subito scire linguam quam ante non didiceris. Plerique ergo Latinum sermonem non satis callebant ut bene intellegerent quid dicerem, et mihi quaerenti nihil fere respondere poterant, quippe qui vel nulla vel tantum prima Grammaticae rudimenta novissent. Nec de meis aerumnis ad Catulli carmina et Ciceronis scripta perspicue enarranda tacebo, cum ex linguae peritia aspirare ad Valafridum minime potuissem. Quas ob causas post paucos dies ab incepto recessi. Et quamquam longe abest ut accedamus ad Romanorum, Centuccianorum, Monacensium, Saravipontanorum, Amoenenburgensium ceterorumque professorum peritiam, qui iam diu et Latinum sermonem docuerint, et in Latine loquendo versati sint, eorum tamen vestigiis ingredienti, mox duos vivae Latinitatis cursus in Academia Gaditana instituimus, ut alumni hodiernis linguarum modo activo docendarum rationibus linguae Latinae fundamenta discerent.

Hoc denique anno MMII, cum Eduardus Engelsing Brasilianus, olim Centucciani studii Latinis provehendis Instituti alumnus, ubi nunc Latine loqui alios docet, Hispali duos menses commoratus esset, a Magistro nostro ineunte aestate Gades invitatus est, ut quinque sessionibus de Latina lingua modo vivo docenda dissereret. Quo audito talis docendi ratio nobis usurpanda esse demum visa est. Novo ergo Latinae linguae cursui, qui activa methodo quadam hoc anno primum ministrandus erat, cum haec verba Matriti die septimo mensis Septembris prolata mense Novembri Gadibus retractabam, modo vivo iam moderor. Alter vivae Latinitatis cursus proficientibus alumnis ineunte anni MMIII autumno inchoabitur.

His temporibus Latino sermoni alienissimis hoc fieri et oportet et opus est. Sic enim res se habet, ut Latinae linguae discendae initia saepe sint perardua taediosaque, cum plurimae Grammaticae regulae memoriae sint mandandae, et glossarium ad antiqua opera in Hispanicum sermonem vertenda saepius sit volvendum. Auget etiam molestiam fastidiumque, quod scripta perspicua raro tractantur, et quod auctores antiqui nonnumquam sunt obscuri, cum artificiosa eloquentia poeticisque flores ac res illis temporibus peculiare variis explanationibus crebro egeant. Talia ergo



opera plerisque iuvenibus non semper sunt idonea, quippe quae ab eis legantur, antequam linguae fundamenta iacta sint. Ita fit ut iidem Latinam linguam lentissime discant, utque id quod post annos duos magno cum studio et labore didicerint, paene nihil emolumenti ad alias facultates afferat. Quis ergo miretur Latinam linguam, quae praesertim eos, qui historicis philologicisque disciplinis operam dant, multum iuvare posset, magis in dies ubique neglegi et ex omnibus studiorum rationibus deici? Sin autem novo consilio capto Latinam non secus ac quamlibet nostrae aetatis linguam doceremus, non dubito quin ea gratior alumnis esset plurisque aestimaretur, cum ea non antiquorum temporum vestigium paucis sapientibus perscrutandum, sed instrumentum plurimis facultatibus utile, immo etiam necessarium duceretur. Plura in hanc sententiam dicerem, si res non satis vobis constaret.

Sed fortasse quaeritis cur hoc officium ego susceperim, qui propositum Latine loquendi tantum haberem: profecto non peritiae meae causa id feci, sed quod, quamvis ineptus, ardenti erga Latinum sermonem amore sum correptus. Ipse autem diu multumque cogitans, si fas esset me Latinum sermonem docere, qui idem pure et emendate nondum loquerer, Vergilianae sententiae *audentes Fortuna iuvat* memor ex meditatione mea tandem comperi: me Musa iuvabit. Itaque, sperans fore ut docendo Latine loqui discam, accinxi me ad primum vivae Latinitatis cursum instituendum.

Hic cursus alumnis primum Classicae Philologiae annum agentibus est propositus, sed etiam eis, qui et aliis linguis et historiae in eodem aedificio operam navant, per tabellas pendentes indictus est. Licet enim omnibus studentibus vel hunc vel quemlibet cursum adire. Et iam vos certiores facere possum saltem triginta iuvenes nomina dedisse, quorum duo in artes salutiferas, septem in Historiam atque octo in Classicam, septem in Hispanicam, tres in Arabicam, duo in Francogallicam et unum in Anglicam Philologiam incumbunt. Praeterea, cum Classicae Philologiae alumnis, qui primum studiorum annum iam expleverunt, hunc cursum eligere non liceat, operam damus ut legitime adire possint.

Martis et Iovis diebus a Kalendis Octobribus usque ad diem tricesimum mensis Ianuarii in hac schola sermonem Latinum iam exercemus. Ut in singulis hebdomadibus singula argumenta tractem, hunc quadrimestralem cursum divisi in lectiones quindecim, quae sunt igitur distributae in dies vel sessiones binas. Alumni cum nonnulli antea in linguam Latinam incubuerint, alii tamen conveniunt qui alieni ab ea sunt. Utrisque autem Latinum colloquium inusitatum laborem imponit. Satis superque visum est quasdam verborum figuras paulatim tradere, dummodo ad rationem linguae citius assequendam eis opportuna sint. Grammatica enim et copia verborum ex usu praecipue comparandae sunt.

Linguam patriam numquam adhibens, omnia ab initio Latine enarro. Curo autem ut distincte pronuntians, brevibus locutionibus ac dictionibus

IOACHIMUS PASCUAL BAREA

dilucidis et quam simplicissimis utar, ut omnium aures Latino sermoni quam primum assuefiant. Antiquorum Romanorum orthographiam et pronuntiatum, quantum possum et oportet, observo et explico, breviter memorans quibus e fontibus singularum litterarum sonos nunc cognoscamus. Inter alia sonandi praecepta, praecipue consonantium *l* geminatae, *c*, *g*, *u* et *i*, Graecarum *y* atque *z* litterarum et diphthongorum sonis operam do, quos saepe corrigo, ne Latinae voces Hispanico ore enuntientur.

Imprimis cottidiana argumenta tractamus, quod ad linguam vivam addiscendam plurimum iuvat. Sessiones ergo spectant ad res domesticas familiaresque, scilicet salutationem, scholam, familiam, officia, domum, humanum corpus, aedificia, vestimenta, vehicula, animalia, itinera, horarum dierumque nomina, cibos et potiones, tempestates, ludos, et talia.


Prima sessione quoddam argumentum ad vitam moresque nostras pertinens, quod mecum commentatus sim, diverso modo expono. Et in tabula cerata et in chartis lucis ope impressis novas voces, locutiones et retinendam doctrinam alumnis ostendo. Qui de argumento in schola tractato narrationem, descriptionem vel dialogum domi exarant. In altera sessione, quae perendino die habetur, de exercitatione domestica singulos interrogo ut Latine respondeant; ipsi de aliqua quaestione sermocinantur aut inter se disputant; breves fabellas scaenicas iocosque agunt (nam multa per lusum discuntur), et aliis modis sermonem Latinum duabus horis exercent, ut non tantum audiant, legant, scribant, sed etiam et praesertim Latine loquantur, quod ad facultatem cuiuslibet linguae discendae maxime prodest. Post sessionem omnia eorum pensa corrigo, ut posteris diebus ea, quae quisque minus intellexerit, ad vitia emendanda repetamus.

Cottidianas voces et loquendi scribendique formulas, dialogos de rebus recentibus, exercitia, textus, ludos aliaque argumenta his scholis necessaria, e diversis fontibus prompsi, quorum recensio perlonga esset. Non autem taceam utilissimos primis diebus iam fuisse cursum vivae Latinitatis *Piper Salve* nuncupatum,¹⁰ librum de Latine colloquendo ab Iohanne C. Traupman compositum,¹¹ et Sigridis Albert *Imaginum vocabularium Latinum*.¹² Ultimis sessionibus scripta antiqua simplicia interdum etiam legemus, dum omnibus intellegibilia sint et argumenta nostris sessionibus apta tractaverint; nuntios a radiophonicis aut Finorum aut Bremensium stationibus emisso audiemus aut saltem transcriptos legemus, necnon epistulas, recentissima carmina, facetias et alia subsidia ex libris locisque interretialibus excerpta, quae iuvenibus maximae voluptati futura sint, et

¹⁰ Francofurti ad Moenum, 1992-1998.

¹¹ *Conversational Latin for Oral Proficiency*, altera editio, Bolchazy-Carducci, Vaucondae (IL), 2000.

¹² Saraviponti, Societas Latina, 1998.



DE VIVAE LATINITATIS SCHOLIS IN GADITANA STUDIORUM UNIVERSITATE HABENDIS

eos ad Latinas litteras alliciant. Sic spero eos, qui his sessionibus interfuerint, Latinum sermonem ita scituros esse, ut Latina aliorum scripta et facilius et citius legant, atque imprimis eorum cogitata eloqui possint. Ego saltem omni mea industria enitar ut eos simulque me ipsum erudiam.

Spero fore ut labentibus annis alii Latini cursus in nostra Academia habeantur. Non enim tantum Iosephus Maria Maestre et ego apud Gaditanos sermoni Latino favemus: contubernales nostri Latinitatem in epistulis et in colloquiis etiam colunt, et unoquoque Martis die ad Latine loquendum convenimus. Ex illis Ludovicus Charlo Brea, Antonius Davila, Viola Pérez Custodio, Bartholomaeus Pozuelo Calero, Alexandra Ramos Maldonado, Eduardus del Pino González et Franciscus Vera assidue intersunt. Faxint dii deaque ut alii collegae talia colloquia et Latinas scholas in eorum universitatibus et gymnasiis instituant, ut Latinus sermo apud Hispanos revirescere possit. Hanc viam ubicumque secuti, omnibus arguamus Latinum sermonem, qui numquam omnino mortuus erat, et vivum esse et diu victurum. Et postquam Latina lingua pluris aestimabitur, liquido patebit quantum ad eam servandam fovendamque fecerimus.

